

signorum circulum, sub quo centrū ipsius terrę annua reuolutio-
 ne circuit. At quoniam zodiacus æquinoctiali obliquus existit:
 pro modo inclinationis axis terrę ad illam, per cotidianam ter-
 rę reuolutionem binos orbis utrobicq; se cōtingentes describit,
 tanquam extremos limites obliquitatis suę, quos uocant Tropi-
 cos. Sol enim in his tropas, hoc est conuersiones facere uidetur,
 hyemalem uidelicet & æstiuam. Vnde & eam qui Boreas est sol-
 sticialem tropicum, Brumalem alterum qui ad Austrum, appel-
 lare consueuerunt, prout in summaria terrestrium reuolutionū
 enarratione superius est expositum, Deinde sequitur dictus Ho-
 rizon, quem finientem uocant Latini: definit enim nobis appa-
 rentem mundi partem, ab ea quę occultatur, ad quem oriri ui-
 dentur omnia quę occidunt, centrum habentem in superficie
 terrę, polum ad uerticem nostrum. At quoniam terra ad cæli im-
 mensitatem incomparabilis existit, præsertim quòd etiam totū
 hoc, quod inter Solem & Lunam existit, iuxta hypothesim no-
 stram, ad magnitudinem cæli concerni nequit: uidetur horizon
 circulus cælum bifariam secare tanquam per mundi centrum, ut
 à principio demonstrauius. Quatenus autem obliquus fue-
 rit ad æquinoctialem horizon, contingit & ipse geminos hinc
 inde parallelos circulos, Boreum quidem semper apparentium
 Austrinum uero semper occultorum: ac illum Arcticum, hunc
 Antarcticum nominatos à Proclo & Græcis ferè, qui pro modo
 obliquitatis horizontis siue eleuationis poli æquinoctialis, ma-
 iores minoresue fiunt. Superest meridianus, qui per polos hori-
 zontis, etiam per æquinoctialis circuli polos incedit, & idcirco
 erectus ad utrumq; circulum, quem cum attigerit Sol meridiem
 mediamq; noctem ostendit. At hi duo circuli centrum in super-
 ficie terrę habentes, Finitorem dico & Meridianū, sequuntur
 omnino motum terrę, & utcunq; uisus nostros. Nam oculus ubi-
 bicq; centrum sphaerę omnium circumquaq; uisibilium sibi as-
 sumit. Proinde omnes etiam circuli in terra sumpti, suas in cælo
 similesq; circulorum imagines referunt, ut in Cosmographia &
 circa terrę dimensiones apertius demonstratur. Et hi quidem
 sunt circuli propria nomina habentes, cum aliij possint infinitis
 modis & nominibus designari.

De